

✠ C 2

15 280



ced

Sammelband

III



6.

In Nuptias Secundas

V. AMPLISSIMI,
VIRTUTE SAPIENTIA
ET DIGNITATE PRÆSTAN-
tis D. SEBASTIANI FVNCCII
Consulis Mariæbergensis, cum honestissima
virgine GERTRVDE, V. ornatiss.
Georgij Pistorij ciuis Lis-
pici relicta F.

CARMEN NVPTIALE
scriptum

ab

Elia Richtero Ma-
riæmontano.



L I P S I Æ

Iohannes Rhamba excudebat

Anno

M. D. LXXIII.

[Zb 2642]



Non longe locus est Philyrae à mœnibus vrbis,
Si memini, indigenae vallem dixere rosarum.
Scilicet haud illo plures sinuosus Elister
Concentus auium labentibus audit in vndis.
Cingit aquas nemus, obducens latus omne, suisq;
Frondeb, vt velo, Titanis submouet aestus.
O quoties viridi pastor proiectus in herba
Propter aquas, Nisæ hic teneros meditatatur amores?
Atqui ego dum solis solus secessibus erro,
Observans vt mœsta sibi deploret ademtum
Daulias ales Itym, dubia regione viarum
Deferor, ambiguos tantum mihi semita passus
Trita minus monstrat, sequor, vt via ducit euntem.
Deuenio tandem, nec enim sine numine certo
Quà prostrata sedet Cytherea sub arboris vmbra,
Seu Platanus seu Myrthus erat: stant undiq; circum
Naiades Dryadesq; Deæ, Fauniq; bicornes,
Et quas amnis alit Nymphas vicinus in undis.
His videas passim teneros colludere amores,
Queis etiam comitem addiderant se, læta iuuentus,
Ridiculusq; furor, leuitas, & numen Iachi.
Cognatiq; alij plures, quos dicere longum est.
Pars canit, ast alij ducunt per prata choreas,
Ipsa sedet Cypris, ac roseo noua polliceserta
Contexens, proprio fauet indefessa labori.
Ecce autem per inane volans, arcumq; Cupido,

Cumq;

Cumq; arcu volucres dextra gerit ille sagittas,
Sæpe quibus tenero infligit mala vulnera cordi.
Iamq; adeo celso delapsus ab æthere, matris
In gremium fertur: Dea quem complexa, uolanti
Oscula libauit nato, dehinc talia fatur.
Eia age quos referes ô audacissime nobis
Nate dolos? quænam telis quibus omnia vincis
Gloria parta tibi, vel quæ uictoria rursum?
Anne meus pater insano deceptus amore
Alitis effigiem uel tauri cornua sumsit?
An Cybele, quamuis sit anus genitrixq; Deorum,
Paulatim succensa, tuo nunc æstuat igne?
Fortassis Diana, arcu præsignis adunco,
Semper ut es petulans, telis & fraude petita est,
Siue nouenarum, quæcunq; sit, una sororum.
Quicquid id est, certè, (atq; utinam præsagia fallant)
Interitum tibi tu nimium temerarius urges.
Ille sub hæc: quod me mater facit esse superbum
Esse scias aliud: Nam Funccius ille Sebaestes,
Qui Mariæbergæ est consul dignissimus urbis,
Vulnus habet, nostro penitusq; calescit ab igne
Huic equidem, primæ post mortem obitusq; supremos
Coniugis, exosus fueram, spreuitq; potentis
Tela manus: quippe haud raro iurare solebat,
Defunctæ se uelle fidem, socialia iura,
Seruare, & viduo semper requiescere lecto.

A 2

Quam

Quam primum vero sentit mea pectore tela,
Ut gemit, atq; imo ducit suspiria corde?
Atq; velut cera lento intabescere flauæ
Igne solent, vitreæq; exorto sole pruinae,
Non aliter duro miser extenuatus amore
Liquitur, & seuo fermè consumitur igni.
Non requies datur ulla viro, non meta furori,
Nec tantas aliquis poterit restringere flammæ,
Ni pia Gertrudis Pistoria nata, fluentes
Fundat aquas, & amore suo soletur amantem.
Virgo meis etiam facibus succensa coruscis
Ardet, ut inducto ceratæ sulfure tædæ.
Et merito: siquidem manet alta mente repostum,
Ut me non fontem foribus depellit auitis,
Imperij non gnara mei, Pharetræq; potentis,
Qua cælum, terras, vastum qua vincimus æquor.
At nunc vulnus alit, mollisq; est flamma medullas.
Et, nisi fallor, vbi binos produxerit ortus
Phœbus, & hic iterum toties se merferit undis,
Ambo tum cupidi thalamo iungentur amantes,
Ardorisq; sui fructus noua gaudia carpent.
Tum Venus, & quid ait lenti nos tanta moramur
Gaudia? Surgamus superest breue tempus eundi.
Extemplo tota graditur comitante caterua.
Seq; etiam iuuenis cui sunt sponsalia curæ
Admiscet formosus Hymen, sine numine cuius

Non

Non bene, non unquam læti iunguntur amantes.
Atq; hæc densa uia se turba accingit, iterq;
Ingreditur, dulcisq; leuat mala tædia sermo.
Tertia cum nitido stellas oriente fugasset
Clara dies, primo feriente cacumina Phæbo,
Speratam intrabant urbem portasq; patentes.
Nec mora adesse Deos sponsus cognouit, & illis
Vota ferens, blando uenientes excipit ore.
Tum, quæ quisq; tulit, depromunt ordine dona,
Aurum, Ebur Assyrium, gemmas, pictosq; lapillos.
Insuper alma Venus datserta recentia sponsæ,
Serta, quibus varios florum superaddit honores,
Lilia, pæstanasq; rosas, & germina thymbræ.
Hocq; nouam decorat præstanti munere sponsam.
Mox sic orsa loqui: felici sidere nati,
Magne vir, & tu uirgo decens, si quid mea possunt
Numina, nec nostram fallunt præsagia mentem,
(Et quidem fallant) uobis promissa fides est
Stantis in orbe Deæ, vestrum concordia lectum
Ambiet, & mitis circum pax undiq; cinget.
Nec dubium est: summo manet hæc sententia cælo,
Sicq; suis Parcæ dixerunt currite fusis.
Fortunati ambo, quorum iam dextera dextræ
Iungitur, atq; pij sociantur fœdera lecti.
Tu uero in primis, magnum decus urbis, honosq;
Sponse, tua felix sponsa es nimiumq; beatus.

A 3

Nam

Nam tibi, nam talem nuptam contingit habere,
Quæ non de media prognata est plebe, sed ortu
Esse superba suo poterit, claroque parente,
Qui uir amans æqui fuit, & pietate celebris.
Adde quod & placido cunctas in pectore dotes
Possidet, eximiam queis laudem uirgo meretur.
Moribus hæc etenim sanctis, uitaque pudica,
Aut æquare potest omnes, aut uincere Nymphas.
Dumque aliæ ducunt ignaua per ocia vitam,
Quælibet atque ioco consumunt tempora turpi,
Ipsa domo residens haurit piæ matris ab ore
Mandata, & studijs uacat irrequieta Mineruæ.
Aut teneris etiam manibus sacra biblia uersat,
Inde pudicitia discens exempla priorum:
Quid uultus memorem blandos, formæque decorem?
Ut splendore magis quam cætera sidera fulget
Lucifer, huncque soror superat pulcherrima Phæbi,
Sic est uirginibus uirgo præstantior ipsis.
Aspice purpurei decus oris, & æmula claris
Lumina sideribus, tum gratia quanta genarum?
Huic omnes equidem credo sua munera diuas
Fudisse, ut cunctis hæc sit formosior una.
Quod si Dardanio nemorose in uallibus Idæ
Hanc promissem Paridi, nunc Ilios alta
Staret, & in cineres uix Pergama uersa fuissent.
Iuppiter hanc Leda præponeret, huius Apollo

Pro

Præ Daphne amplexus peteret, nec Sesta puella
Unquam causa foret nandi mortisq; Leandro.
Ergo sponse tua tot gaudia percipe sponsa,
Quot folia arbor habet, lætas quot Gargara messes.
Tu quoq; uirginei flos intemerate pudoris
Gertrudis, tali gaude socianda marito,
In cuius thalamos optaret quælibet ire.
Nam quot enim struxisse uiro sua retia censes?
Quot prece, quot votis illum petiisse puellas?
Non tamen in casses ille est & retia lapsus,
Nec prece nec uotis ullæ tetigere puellæ,
Ast tu sola capis multarum uota, tuisq;
Fauerunt precibus cœlestia numina iustis.
Non narrabo genus sponsi, clarosq; parentes:
Ipse sua satis elucet uirtute, nec ulli
Scit constare decus magnorum sanguine auorum,
Ni propriæ accedant dotes, atq; inclyta uirtus.
Illustri Catilina fuit de semine cretus,
Dum Roma immensi fuerat caput orbis, at illum
Nec sua nobilitas mouit, neq; sanguis auorum,
Quo minus in patriam ferret se uel improbus arma.
Verum humili uigilat natus de stirpe senator,
Qui ceptus reprimat Catilinæ aususq; cruentos.
Idcirco generisq; decus, clarumq; nitorem,
Sponsa tuus proprijs sponsus uirtutibus auxit.
Inde colit uera magnum pietate Tonantem:

Inde

Inde & commissas fidus regit urbis habenas,
Atq; suum non ui populum, sed lege gubernat.
Ergo virginei flos intemerate pudoris
Gertrudis, tali gaude socianda marito:
Huncq; uelut par est complectere læta, nec illum
Virgo time, cui iam genitrix te cara spondit.
Plura monenda fores, sed enim sub turribus altis
Æra sonant, & nunc uobis sacra templa petentur.
Quod superest, largis precor ut fortuna quadrigis
Affluat ambobus, numenq; hæc fœdera summum
Efficiat rata, temporibus soluenda nec ullis.
Non sterilis sit uestra domus, sed prole beata.
Nascantur longo uobis ex ordine nati,
Qui pietate suam matrem, uirtute parentem
Æquent, ut generis crescat sic gloria uestri.
Dixit, & aspirans membris afflauit honorem,
Atq; decus tantum, ut, multos uelut eminent inter
Sponsus, & ingreditur uultu aspiciendus honesto,
Sic foret è cunctis sponsa hac pulcherrima luce,

FINIS.

37
F. 4018


ULB Halle 3
002 717 190



TA 70C







6.

In Nuptias Secundas
V. AMPLISSIMI,
VIRTUTE SAPIENTIA
ET DIGNITATE PRÆSTAN-
tis D. SEBASTIANI FVNCCII
Consulis Mariæbergensis, cum honestissima
virgine GERTRVDE, V. ornatiss,
Georgij Pistorij ciuis Lipsi-
censi relicta F.

CARMEN NVPTIALE
scriptum

ab

Elia Richtero Ma-
riæmontano.



L I P S I Æ

Iohannes Rhamba excudebat

Anno

M. D. LXXIII.

[Zb 2642]